Quelle: http://manuscripta.at/?ID=912
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Anno domini quingentesimo octuagesimo secundo. Obiit beatus Maurus apud gallias in monasterio Andegauensi quod ipse construxit

admiranda operatur deus ad laudem et gloriam nominis sui. XXVII.
Post obitum denique ipsius sancti viri cum ego unà cum Sim
plicio sicut ipse nobis ipso die depositionis sue pre
ceperat ad nostrum reverti voluissem in monasterium. vir
domini Bertulfus nos obtestando deprecatus est ne illum quo
adviveret desererem tempore. Quem cum offendere pro sua sanc
titate ausi non fuissemus. per biennium quod supervixit cum illo com
morati sumus. Quo defuncto. cum Florianus tocius religionis
vir filius ductoris nostri Harderadi qui a beato Mauro nutritus
fuerat in monasterii regimine successisset. et se ac nos
multis precibus retinere voluisset. reversi ad vos obsequentissimi
patres sumus. atque hec vestris obsecundantes imperiis de
vita et conversatione seu virtutibus beati Mauri licet imperi
tio sermone conscripsimus. Dies autem vite beati Mauri ita
supputantur. Oblatus est deo ac traditus beato Benedicto
cum duodecim esset annorum. Habitavit autem cum eo viginti
annis. commoratus est in monasterio suo quod ipse edifica
vit annis XL. diebus quatuordecim. qui simul fiunt an
ni septuaginta duo. dies quatuordecim. Per omnia be
nedictus deus qui regnat in secula. AMEN. Incipit prefatio
in vita sancte MARIE egyptiace.
Secretum regis celare bonum est. opera autem dei re
velare et confiteri honorificum est. Ita enim legitur
angelum dixisse Tobie post oculorum amissionem